



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola Praesidentivm Concilio Hincinde Directa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1160.

coram positæ reuelata est : & in domino Victore nihil reprehensibile inuentum est, nisi quod pauciores numero cardinales omnino a conspiratione illa exortes, eum pro bono pacis inter regnum & sacerdotium conciliando, elegerunt, & inuocata sancti Spiritus gratia, ecclesia Dei Rolandum cancellarium conspiratorem & schismaticum, discordias & lites, & periuria bona esse euangelizantem condemnauit, & dominum Victorem papam in patrem spirituales & vniuersalem pontificem confirmauit. Quem nos ecclesia duce secuti approbamus, & vniuersalis ecclesiæ patrem & rectorem, cooperante diuina clementia, fore denuntiamus. Hoc itaque factum diuinis suffultum prædiis, & in apostolica stabilitate supra petram, Christum videlicet, firmiter fundatum, a vestra beatitudine, pro pace totius ecclesiæ & salute imperii approbari, & ab omni ecclesia vestræ sanctitati commissa teneri & conseruari rogamus, & præoptamus. Data Papiæ xv. Kalendas Martii.

## EPISTOLA PRÆSENTIVM

CONCILIO HINCINDE DIRECTA.

**Q**VIA sedis apostolicæ turbatio Christianorum animos admodum fauciauit, nos, qui ad ressecanda schismata, & pacem ecclesiæ reformandam, Papiæ fuimus congregati, qualitate causæ, modumque negotii, & sacri Concilii dispensationem, vniuersitati vestræ plenarie duximus intimandum: quatenus, per scripta præsentia mera veritate monstrata, auditorum animi falsitatem, quam forte conceperant, vehementer expellant, & amodo per scripta schismatica non seducantur. Cum igitur orthodoxorum Papiæ congregatorum vniuersitas in nomine Domini confedisset, causâ per septem dies continuos, omni remoto seculari iudicio, legitime & canonicè agitata, ac diligenter inspecta, sufficienter & canonicè in conspectu Concilii per testes idoneos est comprobatum, dominum papam Victorem, & nullum alium, in basilica beati Petri a saniori parte cardinalium, petitione populi, & consensu ac desiderio cleri fuisse electum, & solenniter immanratum: quod præsentè, & non contradicente Rolando quondam cancellario, in cathedra beati Petri fuit

*Concil. Tom. 27.*

Tt ij



collocatus, & quod ibi ei a cardinalibus & clero Romano Te Deum laudamus gloriose decantatum, & inde ad palatium cum bandis & aliis papalibus insignibus est deductus: & clerus & populus secundum consuetudinem interrogatus per scriniarium, si placeret? tribus vicibus clara voce respondit: Placet. Probatum est etiam quod Rolandus 12. die post domini Victoris promotionem ab Vrbe egressus, apud Cisternam, in qua Nero imperator quondam ab Vrbe profugus latitauit, primo est immantatus. Probatum est quod in secundo die post promotionem domini Victoris, Rolandus interrogatus a rectoribus & clero Romano, ac clericis de sua cardinalia, si domino Victori esset obediendum, expresse confessus est se nunquam fuisse immantatum, & expresse dixit: Ite, & obedite ei, quem immantatū esse videtis. Super his capitulis fuerunt testes, & sub stola tactis sacrosanctis euangeliis iurauerunt, Dominus Petrus Christianus decanus basilicæ beati Petri, & in persona sua, & omnium fratrum suorum. Iurauerunt etiam venerabiles archipresbyteri, & rectores cleri Romani, Blasius & Manerius presbyteri, Ioannes presbyter gentilis, Aimerardus archipresbyter, Berardus archipresbyter, Ioannes archipresbyter, Benedictus diaconus, magister Ptolemæus archipresbyter, magister Gerardus, & Nicolaus, & alii honesti clerici Romani. Præterea Petrus illustris Urbis præfectus, Stephanus de Tebaldo, Stephanus Northmannus, Gimundus de domo Petri Leonis, Ioannes de Stephano, & alii principes & nobiles Romani, qui ad vocationem serenissimi imperatoris venerant, in conspectu Concilii super iam dictis capitulis, ex maxima parte testimonium similiter perhibuerunt, & iurare voluerunt. Sed nos quia religiosorum presbyterorum multorum testimonium sufficiens & abundantissimum habebamus, duximus laicis in hac parte parcendum. Deinde venerabiles episcopi Hermannus Verdensis, Daniel Pragensis, & Otto palatinus comes, & magister Heribertus præpositus, quos dominus imperator ex consilio 22. episcoporum, & Cisterciensis & Claraualensis abbatum, aliorumque religiosorum tunc præsentium, Romam delegauerat, vt partes ante Concilii præsentiam Papiam euocarent, in conspectu Concilii testimonium perhibuerunt,



ANNO  
CHRISTI  
1160.\*Phizu-  
tus,

quod Rolandum cancellarium, & partem eius trinis edictis per interualla peremptorie & solenniter ad presentiam ecclesie Papiæ congregandæ, remoto omni sæculari iudicio, vocauerunt, & quod Rolandus cancellarius & sui cardinales viua voce & ore proprio iudicium vel examen aliquod ecclesie se nolle recipere manifeste dixerunt. Vidimus etiam scripta Henrici Pisani cardinalis tituli sanctorum Nerei & Achillei ad dominum imperatorem directa, in quibus expresse continebatur, quod nullum vellent ecclesie subire iudicium vel examen. Super hæc omnia idem Henricus, & Otto cardinalis sancti Nicolai de carcere Tulliano, qui tempore Concilii, & ante, apud Ianuam morabantur, & Ioannes Anagninus cardinalis, & Ioannes \* Pizutus, sanctæ Romanæ ecclesie subdiaconi, qui tunc apud Placentiam erant per octo dies, a Concilio toto sunt expectati, & per literas & per nuntios Concilii sunt vocati, & contempserunt venire. Ex his igitur omnibus sufficienter instructi, & veritate hincinde plenarie declarata, placuit reuerendo Concilio, vt electio domini Victoris, qui tamquam agnus mansuetus & innocens venerat, ecclesie iudicium humiliter suscepturus, approbaretur & confirmaretur, & electio Rolandi penitus cassaretur. Et factum est ita. Electione itaque domini Victoris, remoto omni sæculari iudicio, sancti Spiritus gratia inuocata, confirmata, atque recepta, Christianissimus imperator post omnes episcopos, & post omnem clerum, vltimus consilio & petitione Concilii electionem domini Victoris recepit, & approbavit: & post eum omnes principes, & innumerabilis hominum multitudo, quæ præsens erat, tribus vicibus interrogata si eis placeret, respondit cum gaudio magna voce: Placet. Sequenti die proxima, id est prima sexta feria quadragesimæ, dominus Victor cum processione ab ecclesia sancti Saluatoris extra ciuitatem, in qua fuerat eius hospitium, ad catholicam ecclesiam gloriose deductus est. Ibi religiosissimus imperator ante ianuam ecclesie eum suscepit, & descendenti de equo strepam humiliter tenuit, & apprehensum per manum vsque ad altare conduxit, & pedes eius est osculatus: & nos omnes patriarchæ, archiepiscopi, episcopi & abbates, & omnes principes cum vniuersa



multitudine quæ præfens erat, pedes apostolicos sumus osculati. Proxima autem die sequenti, id est sabbato, habito generali Concilio, dominus papa, & nos cum illo, Rolandum cancellarium schismaticum, & eius principales fautores, accensis candelis anathematizauimus, & tradidimus eum satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini. Illud etiam discretionis vestræ prudentiam volumus non latere, manifeste esse deprehensum, quod Rolandus cancellarius, & eius sequaces quidam cardinales, viuente adhuc papa Hadriano coniurauerunt. Fuit autem tenor coniurationis, quod si eis viuentibus papam Hadrianum mori contingeret, cardinalem vnum de illis eligerent, qui in eadem coniuratione esset astrictus, de cetero ex parte Dei omnipotentis, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & omnium sanctorum, & virorum orthodoxorum, qui diuino intuitu ad rescindenda schismata conuenerunt, vniuersitatem vestram humiliter imploramus, & monemus in Christo, vt ea quæ ecclesia Dei Patris congregata ad honorem Creatoris & sponsæ suæ matris vestræ sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ tranquillitatem, & ad salutem omnium Christianorum fideliter ordinavit, vos, omni dubio & ambiguitate remota, irrefragabiliter rata & firma teneatis: orantes, vt Redemptor noster Christus Iesus vniuersalem pontificem & papam nostrum Victorem, de cuius sanctitate & religione omnino confidimus, per tempora longa conseruet, & præstet ei omnimodam tranquillitatem & pacem: ita quod per eum Deus omnipotens honoretur, & ecclesia Romana, omnisque Christiana religio, gratum Domino accipiat incrementum. Vt autem omnis actio plenius lægentibus elucescat, dignum duximus vt omnium nostrum consensus & nomina subscribantur.

Ego Peregrinus Aquileiensis patriarcha cum meis suffraganeis interfui & consensi.

Ego Arnaldus archiepiscopus Moguntinus cum quatuordecim suffraganeis interfui & consensi.

Ego Artuicus Bremensis archiepiscopus cum suffraganeis meis interfui & consensi.

Ego \* Hellinus Treuerensis archiepiscopus cum meis suffraganeis \* Hellin. consensi.



ANNO  
CHRISTI  
1160. Ego Reinaldus Colonienſis archiepiſcopus cum meis ſuffraganeis  
conſenſi.

Ego Vvickmannus Magdeburgenſis archiepiſcopus cum meis ſuf-  
fraganeis conſenſi.

Bifuntinus archiepiſcopus per legatum & epiſcopum Baſileenſem  
conſenſit.

Arelatenſis archiepiſcopus conſenſit.

Lugdunenſis archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis conſenſit.

Viennenſis archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis conſenſit.

Henricus rex Anglorum per literas & legatos ſuos conſenſit.

Rex Hungarorum per literas & legatos ſuos conſenſit.

Rex Bohemorum conſenſit.

Rex Danorum conſenſit.

Guido electus Rauennas conſenſit.

Epiſcopus Firminus conſenſit.

Epiſcopus Ferentinus conſenſit.

Mantuanus conſenſit.

Bergomenſis conſenſit.

Faentinus conſenſit.

Abbatum vero & archipreſbyterorum multitudo innumerabilis  
multorum regnorum interfuit & conſenſit.

Longobardorum inæſtimabilis multitudo interfuit & conſenſit.

Vniuerſi fere principes Romani imperii, tam Teutonici, quam Itali-  
ci, tam in Vrbe, quam extra Urbem, interfuerunt, & aſſenſum  
cum ingenti deſiderio præbuerunt.

## EPISTOLA

## BAMBERGENSIS EPISCOPI.

De eadem re.

*Reuerendiſſimo patri & domino Eberardo Saltzburgenſis eccle-  
ſiæ archiepiſcopo Eberardus Bambergenſis gratia Dei, ſi quid  
eſt, tam deuotum quam debitum cum oratione ſeruitium.*

CONVENIENTIBVS in vnum Papiæ epiſcopis circiter quin-  
quaginta, diuque ventilata quæſtione papatus, cum di-  
latio primo pene omnibus complacuiſſet, vſque ad maio-  
rem rei notitiam, & aliud generalius Concilium, præualuit  
tandem pars domini Victoris iuſtificata ab altera parte  
multis modis: quia coniuratio contra imperium factum  
illud præceſſerat: quia domini Victoris immantatio prior,  
illa poſterior, quo ſolo Innocentius Anacleto præualuit,  
cum Anacletus plures & maximæ ſcientiæ & auctoritatis  
haberet electores. Deinde quod ad hoſtes imperii pars